HIERONYMI PERLINI

# DECLAMATIO ADVERSVS MORBORVM CONTAGIONEM HVIVSQVE AVCTORES & Fautores, imo ſęculum in parte,

*SEV*

*PRÆLVDIVM JN EIVSDEM AVCTORIS TRES DE CONTAGIONIBVS, AC MORbis Contagioſis contra Vulgarem & Communem opinionem libros,*

*IN QVATTVOR CAPITA DIVISVM,*

Cui adiectus eſt Index totius Operis, quib. omnib. veluti ſcripti eiuſdem rudimento, per vmbram apparet quanta ſit vtilitas integri laboris, qui ſuppreſſus adhuc detinetur apud Auctorem.



H A N O V I Æ,
Typis Wechelianis, apud hæredes Ioannis Aubrii.
*M. DC. XIII.*

Clariſsimo Viro

# THOMÆ MERMANNO DVCI BAVARIÆ PRIMARIO MEDICO, ET COMITI PALATINO

Hieronymvs Perlinvs dedicat conſecratque.

DEvm *ego teſtem inuoco* [Clarissime Domine] *tacitæ meæ voluntatis, quàm ſæpè adſpirauerim ad te ſcribere, & affectum cultumue promere, quem virtutib. tuis in pectore clauſum ſeruabã. ſi enim quiſpiam hodie in Germaniâ, imò vniuerſâ propè Europâ eſt, qui ad faſtigium veræ ac ſolidæ doctrinæ peruenerit, eum ego te cenſeo, Mermanne; vt iure ſummo ob huiuſmodi merita, & proſperam tui famam, quid dico famam? gloriam, claritudinem (à meliorum iudicio & conſenſu veniente) omnes, etiam abſentes & longe diſsitos, ad te, mixto affectu, amandum allicias & prouoces. Audiebam ipſe olim*

*Hieronymum Mercurialem, & Andream Fachinæum, alterum præceptorem meum, ambos conciues, de te honorificentiſsimè loqui: ſed nuper Ferdinandus Matthiolus, ſummæ prudentiæ, magniq; iudicii vir, ac tui ſtudioſiſsimus, adeò hîc Tridenti optimos mores tuos, ingenii felicitatem (eximiam virtutem) ceteráſq; egregias animi dotes diffusè, libero ore, ſed puro etiam illo ſuo iudicio, enarrauit, & expreſsit; vt totus ſim magis in tui amorem, ſed quem reuerentia temperat & concinnat, accenſus: Vnde veluti coactus fui, & inſitum mihi modeſtiæ vinculum ſtilique ſilentium abrumpere; ac ſine vllo diuerticulo, aut flexu ambitionis per liberam & apricã viam tibi vnà ſtruere mei amicitiam & ſeruitutem; cuius teſtimonium & pignus pariter eſſe volui hãc, quam defero, & apud te, æternùm manſuram, depono,* DECLAMATIONEM: *Eamque inſuper nedum, vt legas, examines, iudices, cenſeas, & ſubſidium præſtes (quod à ceteris huius ſæculi Medicinæ proceribus æquè peto;) ſed etiam, vt priuatim ab inuidorum, & maleuolorum liuore, ac morſu defendas & protegas tuâ virtute & auctoritate, enixè precor & efflagito: ſi enim vllum eſt opus & factum, quod magni viri auxilium atque patrocinium expoſcat, plane eſt noſtra de* CONTAGIONIBVS *Diſputatio, per Hano indicata & adumbrata; vtpote quæ vulgo impar*

*& inui-*

*& inuiſa, illius odiis & detractionibus mirè obnoxia futura ſit. Fac igitur nunc & impoſterum, quod tua prompta & obuia benignitas, notabiliſq; doctrina mihi promittũt: Neq; deterreat te inaudita hæc, ſeu veterũ, nouiter animaduerſa, cõtagionis denegatio, excidio, euerſio: quoniã memini me aliâs, familiariter atque breui ſermone, & communicaſſe cum noſtro Mercuriali (quem ſcio te non parum ſemper æſtimaſſe) hunc eundem meum ſenſum & inſtitutum; & audiuiſſe inſimul ab eodem, ſeipſum pariter multoties idem cum nobis excogitaſſe, in morbis, in peſte ipsâ, experientiâ ductum, agnouiſſe; ſed minimè auſum fuiſſe, ſermone, aut ſcripto, ire & pugnare contra ſæculum & vulgus; quod, vt tu quoque non ignoras, corrumpit, & corrumpitur: ſcilicet vitia & mores, vt facile excipit; ita pariter aut commendat exemplo, aut imprimit ſermone, aut neſcientibus allinit cõuerſatione: Igitur ſi forte fortuna hac vani, contagionis, metus labe tu quoq; parumper tactus es & infirmus; ſume quaſo ſpiritus, reuerte in te, reuoca animum ab his inanibus; mox pro parte accede mecum ad tui curationem; cauſſamque noſtram, opinionem hîc expreſſam vel defende, aut ſaltem, vt boni aduocati faciunt, apud iudices eam iuraq; noſtra ora & commenda. Quod ſi, vt ſpero, effeceris, non dubito, quin (maximè His noſtris, & ſequentibus, vel-*

*ut delenimentis, praeuntib.)* ſi vitia & deprauati *hac in parte* mores, *ſeu potius improbi abuſus* non excindantur, (*vtar Senecæ verbis*) inhibeantur ſaltem; ſi non deſinant, intermittant: fortaſſe autem deſinent, ſi intermittendi conſuetudinem fecerint. *Vale vir illuſtris, & excellens, & qui me magis virtutes tuas admiretur, neminem eſſe puta. Tridenti die XXII menſis Nouembris 1612.*

EXCEL-

Excellentissimo Viro

# THOMÆ CROSINO MEDICO TRIDENTINO, ET AMICO CARISSIMO

Hieronymvs Perlinvs S. D.

QVONIAM non rarò auctoribus & quædam, ſiue per incuriam, ſiue illis ipſis aliò intentis & toto animo abſtractis, dum ſcribunt clàm elabi & omitti; & nonnulla etiam, dum propria, recèns compoſita, legunt, iiſdemmet ſubterfugere conſueuerunt: Eapropter rogo te, Excellens vir, vt hæc pauca noſtra, antequam prælo ſubmittantur, aſpicias, legas, & ſi quæ errata adinuenies, corrigas, aut nos moneas. Circa orthographiam non eſt quod admodum ſolicitus ſis: quia etſi quædam forſan tibi inſolita reperies, ea tamen exemplo bonorum auctorum ſcripta ſunt. Stilus hic noſter forſitan pariter tibi durior & difficilior videbitur: eò quoniam primùm ſit interruptus, accedentibus & interuenientibus multis, & crebrò longis, interpoſitionibus: ſecundò quòd conſtet periodis item longis, lectorem ſuſpenſum & pendentẽ, incommodo quodam, detinentibus: & tandem

quia nimis aliâs ſit translatus : ſed parcendum in parte (mi Croſine) ineptiæ & defectui, ſeu conſuetudini noſtræ, quę talia vitia exuere neſcit: Quamquam etiam interruptio illa ſæpè prouenit ab orationis contractione, adſtrictione, nobis quodammodo, de induſtriâ, quæſita: aliâs illa eadem commodè, medio ſermone, aliquem inſerit ſenſum, & ſemper cum breuitate, res tantùm veluti attingens: ſicuti longitudo periodorum idem præſtat, licet aliâ ratione: ſcilicet ſuggerit, ingerit, commemorat, firmat, negat: plura nectit ſeu ad explicandũ magis, ſeu ad augendum & amplificandum: res vltrò attollens, aut contra deprimens. Metaphoræ ſimiliter ſunt ad imitationem bonorum ſcriptorum; & ab iis, quĩ altè res ipſas penetrant & intelligunt, ſimilitudinesq; agnoſcunt, vix euitari aut ſubterfugi poſſunt. Cuncta difficultatis & obſcuritatis ſtili vitia & culpationes ſuperabis, tolles, aut lenies, ſi lentè, & attentè legas, & magis, ſi repetas. Et vale, meque ama, vt ego te.

AD

# AD LECTOREM.

QVEMADMODVM *rectiſsimè ( ait Iulianus iuriſconſultus ) illud receptum eſt; leges non ſolum ſuffragio legiſlatoris, ſed etiam tacito hominum conſenſu per diſuetudinem abrogari, ſic ex aduerſo minimè dubitandum, quin noui ritus inſolitiq; mores in rempub. cottidie obrepant, ſenſim inoleſcant; ab omnibus, ſeu intellecti, ſiue etiam non rectè intellecti, retineantur; ſpecieque boni, vel honeſti tandem à principibus, huiuſmodi talia vt plurimùm Philoſophis perfectè noſcenda relinquentibus, iure quodam ſanciantur. Simile profectò eueniſſe noſtris, & ſuperioribus ſæculis, morborum contagioni, contagioniſque periculis, & remediis aduerſus pericula inuulgatis, haud incertum: Etenim cùm nullus ferè ex antiquis ſcriptoribus, eruditione, ac prudentiâ inſignis, reperiatur, qui certi quid de huiuſmodi argumento dixerit, aut ſcripſerit: nec quidquam pariter per infinita ferè ſæcula de conſimilibus contagionis corporum periculis ac diſcriminibus, ſeu euitandis, ſeu coercendis, in legibus poſitum ſit ( omitto nunc lepræ Hebræorum antiquam contagionem, de quâ alia ratio) eò tamen ventum, eouſque producta formido, vt inania penè, humani generis detrimento, hac in re ( vt mox referam ) credantur, & prodantur. Quæ latè recepta, ac pronis auribus audita morborum externorum ſeu pericula, ſeu etiam præſidia, non ille ſum, qui delere ſtatim, ac immutare optem: abſurdum enim videtur, maleque ferendum, quæ à ſapientibus recepta ſunt, illicò abſque præmeditatione abolere: auſim tamẽ dicere talia, dubia,*

Digeſt. 1. T. 3.

*incerta, dignaque nouo & diligenti examine: quòd contagionis hoc argumentum in vtramque partem diſputari poteſt: Quæ ſit veritas, videant, & conſulti promant, quibus licet. Ego certè in peſtilenti loco, ſi poßibile, non ſubſiſterem, ſed ſubterfugerem; at in aere ſalubri nec fomituum contagia timerem, ſed pro nihilo ducerem: nec homines peſte, vel conſimili morbo, contagioſo putatò, pollutos, aut affectos declinarem: quin inuiſerem abſque vlla renitentia: & contrectarem quoq; de more, omni inſuper medicorum ſtudio, atque diligentia adhibita, exemplo vſus magni Hippocratis, Galeni, Auicennæ, & aliorum veterum medicorum, aeris vnius tùm inſpirati, tùm circumfuſi, non verò corporum & fomituum, in peſte, contagionem & pericula extimeſcentium. Scio non defuturos, qui irrideant, noſtraque contemnant: at id nouum minimè eſt:* neceſſe enim, *inquit Plato*, à vulgo Philoſophantes vituperari: *hoc eſt, vt in nouo ſcribendi genere ſeu argumento noua ſcribenti ſint iudicia parata, & cenſuræ. Aſſumpſi in Diſputatione multoties (fateor) habitum dialecticum, non illum quidem cauilloſum, Arceſilao, Ariſtoni, aliiſque ſophiſtis familiarem, ac paßim omni æuo peroſum: ſed alterum perutilem, diſciplinis accommodatum, nec non à præclarioribus Philoſophis commendatum, & vſurpatum: Non enim veritatem in re tam graui & ſeria, ad hominumque ſalutem valdè ſpectante impugnare aut occultare fraude & fallacia, quaſi aliud ſcribens aliud ſentiens decreui, abſit: verùm ne falsò aduerſariis aſſentiãtur mortales, neue captioſis argumentis fallantur, eoſdem monere (fas ſit dicere) & erudire, in parte, volui. Nec inutilis eruendæ, & tuendæ contra vulgum veritati, ſcientiæque ſtruen-*

*dæ, ac*

*dæ, ac firmandæ dialectica iſthæc facultas, ſi planis Aphrodiſienſis, & Galeni etiam verbis fidem adhibere volumus, imò opportuniſſima: quòd ſemper in veritatem tendens, circa hanc verſans, prudentibus nedum, atqui multitudini maximè, quæ prima illa principia rerum, quib. conſit vera demonſtratio, neſcit liquidò percipere, mirè accommodata ſit. Vis dicam liberè (benigne Lector?) caremus demonſtrationibus, vel harum ſaltem inopes ſumus in huiusmodi rebus veritatem ex ſe minime annuentibus: ad prima, inquam, principia rerum aut neſcimus verè penetrare, aut penetrati, cæci parùm iuſtè cernimus. Et aduerſarii in re non modò coniecturis, & probabilibus ratiocinationum generibus incedunt, & doctrinam ſtruunt, quæque ſit, ſuam: ſed vereor etiam ne maior pars Philoſophantium hodie conſimiliter pari paſſu ambulet: cùm ferè cuncta Latinorum ſcripta (vt adnotabat pariter, Franciſcus Vicomercatus) dialecticam redoleant: Quinimò nedum Philoſophi, ac medici (ſi quid diſcretum eſt medicina à Philoſophiâ, de qua re ambigo, nec inquiro) verùm theologi etiam, & Apoſtoli, teſte D. Auguſtino, ad reconditas ſacrarum litterarum quæſtiones penetrandas, deiudicandasque ſæpè ac ſæpius hac methodo ſeu facultate vſi ſunt. Atque hæc non tam ante perfectum & integrum Opus, quàm hic in ipſo veluti aditu præmonenda videbâtur, quò mei conſilii & inſtituti ratio ſtatim, in parte, intelligatur: ſitq; præſens ſcriptio inſtar præparationis & præludii in magnum Librum. Scias tamen hic priuatim probe Lector, velim, me præſenti loco, exemplo egregii illius imperatoris vti, qui cũ quid magnũ moliturus eſſet, ſe id iã effeciſſe ſimulabat, per domeſticos & amicos innulgabat, emittebatq;: qua cautione prudẽtiſſ cõſilio ſermones mul-*

In Topicis Ariſt. lib. de ſect. 1. Meth. 1. & alibi.

De doct. Chr. 2.

*titudinis, quæ ſemper & dicta & facta dominantium non modò inquirit: ſed perpendit etiam, ponderat, ac dirigere (vt audacula eſt) profitetur, excitabantur: ſicque aliorum iudiciis, diuerſorum ſolertiâ magis ante factum prouidus Imperator mirè erudiebatur. Non aliter & noſipſi, antequam Opus noſtrum de* CONTAGIONIBVS AC MORBIS CONTAGIOSIS *iam diu paratum in lucem, conſpectumque hominum exire, in vulgus edi permittamus, antequam nimirum publica iudicia, quæ ſemper formidari ſolent, in re & nouâ, & omnium grauiſsimâ plenè experiamur, decreuimus Hanc tenuem ipſiuſmet* Operis *imaginem ac vmbram præmittere & præoſtendere: promulgare ſcilicet prius hanc* PRÆSCRIPTIONEM: *vt pari ratione, cùm ſit hæc ipſa totius rei, integri laboris velut ſpecimen ac rudimentum, ex quo perfecta materies æſtimari & iudicari, ſaltem in parte haud incommodè poteſt, ſcientes ac gnari tempeſtiuam occaſionem nanciſcantur, etſi re nondum plenè cognita, non inquiſita, non explicata, monendi aut ſuggerendi. Addo etiam quod ſicuti peregrini ac magni principis, & nouellæ ſimiliter ſponſæ ſpeciem ſolemus quoque prius in pictura præmonſtrare, vt viuam & animatam faciem videndi & agnoſcendi quæqua ſit, excreſcat adſpicienti & curioſo deſiderium: & quemadmodum pariter citharœdi ante cantum legitimum fauoris emerendi gratia* προοίμιον *ſiue* præcentionem *præmittere conſueuerunt: & principia quædam, etiam legitimo carmine, oratores dare: & magnos viros præmittere & nunciare aduentum: ſic & non alio modo lucubrationes & ſcripta ab auctoribus promittuntur: præludiis & rudimentis veluti excurſoribus, emiſsis, indicantur*

Opera

*Opera, in nube, inquam, & ſub velo praoſtenduntur ſic quoque, & ad exploranda ſapientium iudicia, ad cognoſcendum, quid ſpei ſit reliquum: & vt eademmet ſcripta, plana, nuda, perfecta, ac perpolita maiori dein auiditate expetantur, & adepta tandem hilariori fronte amplectantur. Faue itaque, mi Lector, & in me conſule, ſi res meretur, ſique maiora exoptas. Et vale.*

# PRÆLVDII

## CAP. I.

*Spectans credita, & inuulgata de morborum contagione. De quibus obiter querela.*

PLACET autem ante ipſum Operis veſtibulum, imò in ipſo aditu, in hacque primâ Præſcriptionis meæ parte in conſpectu Lectoris ponere, quæ paſſim de contagione creduntur ∴ vt adhuc magis etiam ſtudii & conatus mei ratio euidentior fiat. Contagionis corporum opinio adeò his ſęculis inter mortales inualuit, adeò, inquam, contagionis pauores, & diſcrimina, diſcriminumque noua remedia paſſim & libenter recepta ſunt, ſaltem apud nos Italos; vt nemo pænè hodie reperiatur ( cũ cuncti huic ſe opinioni & credulitati liberè crediderint ) in cuius animũ horum fides, ſuſpicio videlicet periculorum, & adumbratę medelæ vana ſpes non cadant. Ea propter morbus crebritate, aut malitiâ notabilis cùm aliquâ in parte viget, cùm in conterminis, & notis prouinciis illucet, cùm peſtis, dico, impendet, ægrotatio maximè contagioſa credita ( vt ob id vulgus peſtem, contagium dicat, & contagium peſtem ) Principes, ac ciuitatum in id electi ordines (efferēda ſunt iſthæc inania, imò noxia, ſic liceat dicere, ne ignorentur ab exteris nationib. & a futuris ſæculis) commeandi, contrahendique liberam facultatem hominibus vetant; quin ciuitates, inualetudinis denſitate, ac mortis ſorte inſignes, ac triſtes, eſſe morboſas atque ſuſpectas, pernicioſâ, & ſcrupuloſâ quâdam

curâ

curâ, ſtatim iidem denunciant, indicantque publicè. Edicunt nimirũ ne quis quid ſuſpectis vendidiſſe, neue ab ipſis emiſſe, ſeu alia ratione accepiſſe velit; ne quis recipiat, celet, ope vllâ iuuet, alloquatur externos & ſuſpectos: cauent propterea quin etiam ſcrupulosè, milite nimirum vltrò diſperſo ac diſpoſito, ne ex infectis regionibus vlli aduenianti; imò nec nuntium, nec litteræ mitti, aut admitti poſſunt: Quod ſi qui aduenient forte fortunâ homines, extemplò ciuitatum & locorum cuſtodes (de quibus mox plenius dicturi ſumus) eos procul alloquuntur, percunctantes cum indignatione, & non ſine formidine, qui mortales ſint, vnde, aut quo caſu profecti domo, quidue quærant: ac tantisper eoſdemmet, ſiue aduenæ, ſiue indigenæ etiam ſint, modò ſuſpecti, extra vrbem detinent, manereque iubent à congreſſu, aditu, & aſpectu ſanorum prohibiti, donec certum ſit (quod ſpatio XL. dierum peragi credunt) integros & ſanos eſſe: ſtudent diligentiſſimè, quæ natura pauoris, omnia metuentes, ne intra vrbem admittantur vllæ res, quæ poſſint eſſe fomes & materia peſtis, quib. dico, ſubeſſe contagionis ſeminaria queant: Huiusque timoris cauſſâ à magiſtratu, ſanitatis publicè curam gerente (qui in vnaquaque ciuitate, in opidis, in pagis, in villis etiam continenter apud nos ſummâ auctoritate viget, ac imperiali manu, licet ſuis diſcriminibus, cuncta ad publicam valetudinem ſpectantia tractat, & peragit) ad portas ciuitatum cuſtodes vigilantiſſimi, & circa fines imperiorum exploratores ordinantur, qui omni ſtudio: nimirum vi, terrore, armis, igne, ac hominum quinetiam, ſi vtile videatur, (peſſimũ in parte, & nimis crudele ætatis, gentisq; noſtræ remediũ; medicorum tamen, non principum: his enim in talib. non iudicium eſt aut ſcientia niſi indita & iuſſa) morte ac ſuſpendio curent, vt peſtilentiæ ſemina ſeu contagia, nobis tamen inania iure putata, non accedant; ſed a finibus procul arceantur: Imò teſtimonio ciuitatum, & locorum publico, conſcriptis, obſignatisque ſchedulis, commeantes ceteros, integros & ſanos eſſe, (quod continenter ferè vbique noſtro æuo per Italiam, vt pænè irriſui & faſtidio ſit, peragitur) qui præſunt ſanitati homines alienis & exteris gentibus ac finitimis præcipuè nationibus

atteſtantur,fruſtrante diligentiâ,mutuasque inter populos,maximè accolas, obſolita odia, ſemper morborum ſerente ſuſpiciones; ſicuti etiam ex aduerſo huiuſmodi publicum ſanitatis diploma ab aduenis ſeuerè pariter exigunt,quo ſi careant, non admittuntur in ciuitatem vel opidum. Hæc fiunt dum malum inſtat, formidatur,& abſens;cùm verò præſens,ac irritat,multò diligentiores exiſtunt mundi rectores, aſperioribusque frænis vtuntur: ſequeſtrant nimirum, & claudunt incunctanter nedum ægros ipſos,& qui ſecum vnà cohabitant,ómnes eos indifferenter, tamquam peſte vel peſtis aſpergine pollutos,ſuſpectantes,contagem, & congreſſum eorumdē fugientes; verùm etiam vt ſolers ambagibus mortalium vanitas,aut ædes,in quibus ægri ſunt clauſi, obſignant,cuſtodiunt, & obſident; vel eoſdemmet ægros proiiciunt,ſeponunt extra ciuitates; ſcilicet ad remota loca, vbi ſunt publica non temporaria modò; verùm etiam æternitatis deſtinatione,pro caſibus peſtis ſtructa valetudinaria: Quo infelici loco ſegregati non ſolùm à reliquâ plebe degunt; ſed inſuper, exercitu quodammodo,obſidione,non minus obſidentibus,quàm obſeſſis tædium afferente,cincti exanimes, mœſtique manent:Vbi videre eſt,infelici ſorte,ægros,& morbo defunctos viciſſim mutuâ, & inſigni,quòd varia & diuiſa,miſeratione, rogitatu, tabifico odore,demortuorum,&pereuntium triſti aſpectu,metu graui,crebritate mortis,denſitate languentium (qui continenter,& de nouo inibi importantur) mirè,id eſt,facie peſtis,& vi imaginationis lædi,& enec ri:nemo eos ſolatur, nemo adit, præter paucos miniſtros,& veſpillones,caritate an auaritiâ incertum. Ad hæc ſupellectiles omnis ægræ, ſuſpectæque domus, & quæ tractauere peſtilentes vno contagionis vano timore, quod inſaniam prorſus ſapit (parcant mihi rectores mundi, non enim cum ipſis ſed cum medicis horum morum & factorum artificibus inſtinctoribus, hortatoribus,diſputatio & contentio eſt) etiam comburunt: quis enim hanc damnoſam vanitatem priùs in morbo tali experiri voluit? quis rerum vſtionem in peſtilentiæ epidemiâ vtilem inuenit?quâ coniecturâ inductus? quam poteſt medicina iſta originem habuiſſe? quis peſtem innocentiorem effecit, quàm remedium?

medium? aut cui in euitandâ morte, producendæque vitæ auiditate nimiâ victus rationem liquidò ſeruare, homines, & animantia morbo, vel ſuſpectu inſignia declinare, a congreſſu arcere non fuit ſatis? ò ſæcula, ô mores! Præterea priuati homines ſani, ferè cuncti, nedum ægrum non viſunt vllum conuentus, & conſpectus aliorum fugientes; quin vltrò aut continenter domi, graui, magnoque incommodo, manent clauſi (cùm omnia plena ſint ſuſpicionum, vt vix ſecreta domuum exiſtant abſque formidine) aut & proprias vrbes, & ſupellectiles, & dulces domos, & charos, amentes metu deſerunt, fugam arripientes, & illud vulgare vſurpantes, *citò, longè, tardè*: Quod ſi qui per ciuitatem fortè cõmeent (quod infrequens) hos cunctos exſpectatio contagionis, & mortis exagitat, vndique impendens; nihil enim eſt, ſic credente populo, vnde non iubeat: Nam quemadmodum in hoſtili regione verſantibus huc atque illuc circumſpiciendum, & ad omnẽ ſtrepitum circumagenda ceruix; pari pacto in auxiâ & pauente ægrâ ciuitate qui euagantur, palpitantibus præcordiis continenter viuunt ac incedunt; comitantes, congreſſus, colloquia, notos, ignotosque homines, illimet vitantes: Vnde nec neceſſariis etiam, vel proximis, vti fieri aſſolet, occurrentibus familiariter arridetur, ſalutantibus reſponſa dantur: ita vt nec princeps, ſeu ciuitatis alius ordo, qui vel prætorio, vel arce egredi, ſeu pedem efferre non audet, viſetur, cœtuque ſalutantium frequentetur: feles, canes, aues, ceteraque animantia familiaria ſimiliter timentur, ac ſæpè publico decreto, vt ſuſpecta, contagioque aſperſa, huius timoris cauſâ, interficiuntur; etiamnum muta, atque inanima, tectum, & parietes, eodem contagionis metu, circumſpectantur: Mercatorum quinetiam nauigatio, & itineratio conquieſcit, clauduntur officinæ, deſerta ſunt gymnaſia, deſtituta fora, domus clauſæ, rarus, vti prædicebam, per viam populus, mœſta plebs, deiecti in terram ciuium vultus: Pecora ſimiliter derelinquuntur, agricultura deſeritur, ac ſæpè totius anni fructus, vno ſuſpectus rumore, & vno peſtis terrore amittitur. Eorum pariter, quæ aguntur, & imperantur in ciuitate, ſi qua fiunt, cæcitas magna eſt: Etenim tumultus; temeritas nempe ex vnâ parte; pauor (non ille quidem notus, & inuulgante morbo ſtragem, & vaſtitiem viuentium e-

dente,mortalibus ſuetus;ſed nouus,& cõtagionis ſuſpectu altior) voces turbulentæ, ac miſerabiles, vel triſte ſilentium, taciraque mœſtitia, ſeu gemitus ex alterâ miſera loca ægra occupant : Eapropter congreſſus,graſſationes,errationes, & diuulgationes per ciuitatum vicos,rixæque multæ fidentium,& alacrium, imperiaue abnuentium fiunt, maximè noctis licentiâ; occultatio viceuerſa,inobedientia trepidantium, & languentium : neque dari vllum certum imperium per talem fluxum, ancipitemque ſtatum poteſt;ſed turpibus,cunctiſue licentiis, præ contagionis corporum ſuſpectu animis infixo & hærente, viuitur: latrocinarique,rapere,ſpoliare,verberare,vulnerare,occidere, conſtuprare matronas,virgines, milleque aliis modis viros feminis permiſceri,ac ſimilia ſcelera (vatio enim populo ætate, moribus, dignitate diuerſæ cupidines,& aliud cuiq; fas & gratum) exanimes ciuitatum & locorum rectores, auribus & oculis tacito inuagantis periculi,ſeu corporum contagii metu capti, per funebrem ciuitatem,per vacuas domos, per deſerta templa, foraque permittunt; vti perditiſſimi homines, rem auream, & licentiam quamdam peſtis mala exiſtimantes,pariter,nihil penſi, neque ſancti habentes,pulcherrimum ducunt. Vnde non malè diceb t Thucydides in enarratione ſuæ peſtilentiæ, nondum etiam contagionis vano timore à proceribus recepto: eiectis ab Athenienſibus quamplurimis,per eam peſtem, duobus legum cuſtodibus verecundiâ & timore,ſubſecutos eſſe duos ſatellites malorum, & auctores, atq; impulſores ad omne nefas,& ſcelus;nempe voluptatem, & lucri cupidinem, ſiue auaritiam; quibus duobus nihil poteſt eſſe perniciofius,& ad omne malum, & omne ſcelus patrandum ardentius;quibus tamquam facibus furialib.inflammantur animi mortalium cupidine omnis ſceleris,atque rapinæ. Verba Thucydidis ſunt iſthæc: ὅ,τι δὲ ἤδη τε ἡδὺ, καὶ πανταχόθεν τὸ ἐς αὐτὸ κερδαλέον, τοῦτο καὶ καλὸν καὶ χρήσιμον κατέστη. i. *quod verò nouerat quisq; iucundum, & ex omni parte ſibi quæſtuoſum, hoc & honeſtum, & vtile conſtituebatur.* Etiamnum penes nos (quod extrema mehercules miſeria eſt) ſacra,de more,non peraguntur;non ſacerdos item,non medicus, non copia rerum, non miniſteria,non fomenta ægris ſunt; qui n ii neglecti deſertiq; miſerè perſæpè peſſimâ morte moriuntur: Mortuoſque lacrimis, & iuſto

iuſto comploratu non modo non proſequuntur proximi & adfines, vel familiares ipſi; at nec efferrent quidem, aut ſepelirent, ſi commune ius, ſi religio, inquam, & princeps permitterent, iacentes illi iidem ſtrata exanima corpora in conſpectu conſimilem mortem exſpectantium, ſeu (vt acuto Senecæ verbo dicam) *proſpicientium*: Quantum enim ſtrages & miſeria gliſcit, tantum vi metus & contagionis, penes vulgares, & eos, qui virtutis nihil profitentur, miſeratio & caritas arcentur: Ingens enim latiſſimæ contagionis trepidatio tales affectus redarguit; interciditque illius, quam diximus, ſortis humanæ commercium: Et proinde ſiccis oculis, velutique attoniti ſuſpectantes impendentia mala, exſpectatam peſtem, alios ſe in morte præuenientes vt inſpiciunt, imò aſpiciunt; ſic ægris nullum auxilium vel ſolatium adferunt. In ceteris autem morbis, præter peſtem, contagioſis creditis ſi non eadem, ſaltem quædam & ridicula, & ſuperſtitioſa profectò miſeri mortales, prodigioſis ingeniis pericula ac terrores ægritudinum mille modis ſic augentes, vanâ ſpe ſecuritatis allecti, ſollicitè faciunt, ac liberè credunt. Vnde pariter & imbecillitate noſtræ naturæ, & maximè potentiæ, ac tumoris magnatum ſuſpicione, decore, eò ventum, eò, inquam, producta contagionis vana formido, vt quiuis morbus, etiamnum planus, familiaris, & clemens, citra peſtem quoque, veluti attactu infenſus, formidetur. Vlteriùs non pergam, quia obſtat verecundia in tantâ animorum formidine, & remediorum vanitate: Ad tantas enim ineptias peruentum eſt, vt non morbis tantùm, ſed morborum ſuſpectu & contagionis opinione vexemur: *more puerorum*, vt ille ait, *quibus metus incutit umbra, & perſonarum deformitas, & deprauata facies: lacrimas vero euocant nomina parum grata auribus, & digitorum motus, & alia, quæ impetu quodam erroris improuidi refugiunt*. Sed ad reliqua pergamus. *Seneca.*

# CAPVT II.

*Quod verè vnà cum ſubſequentibus prologuii naturam præfert. Scientia an competat homini. Contagionis metus & vana opinio quibuſnam errorib. originem, & progreſsionem traxerit, ſcientificè, & ſummatim inueſtigatur. Conſilium auctoris, & conſilii ratio adhuc magis aperiuntur.*

NOBILISSIMO rerum homini (qui proximus Deo, quique vnus, teſte Senecâ, in deliciis naturæ fuit) ſcientiam nullo modo competere, reperti ſunt, qui indecorè dixerint: ſed hos omnes refellere & confutare neque difficile, neque multum ignaris fuit: adeò vt turpe ſit in re hac apertâ, & diligenter pertractatâ diù immorari: Nam cùm rerum genera & perpetua, & conſtantiſſima ſint; resque ipſæ nexus certos habeant cum propriis, quibus innituntur cauſſis; hæque ſimiliter acribus ſenſibus, ac eminenti mente perſpici quandoque poſſint, συλλογισμῶ potiſſimùm ope; cauſſarumque cognitio & inſpectio, obſeruatioque ſit vera ſcientia; quomodo hanc nobis ex naturâ minimè vllo tẽpore dari, nihilque firmi vmquam ſciri, affirmare liceat, haud ſatis mehercule animo, cogitationeque comprehendere valeo: Et eò magis quòd fruſtra profectò, ſcientiâ ipsâ numquam nobis accedente, inſitum illud ſcientiæ, ac rerum cognitionis deſiderium, quo cuncti perpetuò, libidine & proritu quodam, tenemur, mortalibus datum eſſet. Ceterùm qui ſcientiam, ac rerum comprehẽſionem ſeu notitiam hominibus imperfectè, & ſubobſcurè adaptari, nimis timidè aſſeuerarunt, quemadmodum ex vnâ parte abundè laudare ipſe ſolitus ſum; ita ex alterâ quin eos reprobem, ac de-

ac derelinquam, vix effugere queo: Nam ſi, dum intelligit, ac iuſtè cognoſcit ſollers mens humana, per veras & neceſſarias cauſſas; ſeu etiam (licet minus perfectè) auxilio & ope neceſſariorum affectuum id aſſequitur; rem adſpici, non inſpici, leuiter, inquam, & ſubdolè tunc temporis ab homine cognoſci, dici verè, quo pacto poſſit (cùm liquidò res intelligatur, ſeu quod ſit, ſeu propter quid,) animo haud rectè aſſequi poſſum: Ita ex aduerſo dũ mortalitatem ipſam, circa obiecta, & res anxiè verſantẽ, priuatis theorematibus ſcientiarum ſeſe immiſcentem, huc atq; illuc torquẽtem ſe, & flectentem, animaduerto; dum, inquam, intimiùs non modò anguſtiam ſenſuum, ſed & ingenii humani tùm imbecillitatem, quæ pauca penetrare valet, minuſque rectè crebrò deiudicat; tùm maximè libidinem, quæ non ſemper eadem vult, aut colit, nec ſui compos, diligenter, cordateque intueor, non poſſum non atteſtari plurima eſſe, quæ à nobis ignorantur, & hac ratione in naturalibus, veritatem ex ſe minimè annuentibus (vti prædicebam) non ſcientiam, ac certam intelligentiam, quin opinionẽ, & ſcientiæ ſpeciem vel imaginem, quâ ſæpè inaniter cuncti noſtrûm iactari ſolemus, mortalibus familiarem, & cognatam exiſtere: Propter quod Democritus ille, lumine ſapiẽtiæ clariſſimus, iure in puteo, cui fundus non eſſet, latêre veritatem, & Anaxagoras caligine circumfuſam dixêre: Imò Plato ad hanc mentem, vt opinor, hominem ludicrum Deorum nuncupauit; Et non infimi ordinis Philoſophantium non pauci reperti identidem ſunt, qui ſapientem appellarunt ob id δοξαστὴν.i.*opinabilem*. Verum enimuerò huiuſmodi fallacia, ac rerum naturæ fœda ignoratio, ſimulacro ſcientiæ doloſè velata, hominiſque menti crebrò hærens, licet familiaris ſit omni pænè diſciplinæ vſu, & ingenio noſtro comparatæ; attamen in philoſophiâ, ſeu philoſophiæ eâ parte, quæ à Græcis φυσιολογία dicitur, ad artemque medicã, in lubrico poſitam, proximè ſpectat, frequentior omni tempore fuit, nunc autẽ frequẽtiſſima: Etenim medicinæ facultas (vt tùm Deos, ad quos fabuloſè refertur, Apollinem, Aeſculapium, Podalirium, & Macaonem Aeſculapii filios; tùm vetuſtiſſimam Barbaricam ſectam, quæ ſcientias, præcipuè philoſophiam, eiuſque ſororem medicinã, Græcis communicauit, nunc omittam) cùm primum apud Græcos

explicatè coorta eſt, Hippocrate Coo auctore, fatali quâdam malignâ ſorte, ſemper variis, pernicioſiſque opinionibus plurimùm vexata eſt, rationis veritatiſque vana imago & vmbra ipſam omni tempore tenuit ac deturpauit; adeò vt Plinius vir magni ingenii iure dixerit de medicinâ, quæ exſtabat ſuo tempore : *nullam artium inconſtantiorem fuiſſe, & etiamnum ſæpius mutari, interpolemq́; cottidie eſſe.* Claudius Galenus, vir eximii propè ingenii, medicinam ſic malè tractatam, in tot, tantaſque ſectas diuulſam, laceratámue, licet ſuæ integritati, atque nitori reſtituerit, ac explodens omnia peruerſa dogmata, quæ graſſabantur ſuo tempore, necnon reuocans Hippocraticam medendi rationem, quæ iam plus quàm ſexcentos annos ſepulta & neglecta fuerat, diuinam artem ſtabilirit; attamen ex eo tempore etiam, etſi ſub vnâ, eaque verâ naturali ſectâ continuò manſerit fructuoſa iſthæc facultas, factum eſt tùm fluxibilitate ſubiecti, & effectum, qui demonſtrationum ſunt materies; tùm obſcuritate, quæ cuncta materialitatem (vt ita dicam) eiuſdem ſubiecti inſequuntur; tùm tandem dictâ humani ingenii libidine ſeu inconſtantiâ (de quâ iure conqueritur etiam Theodorus Priſcianus in proœmio ſuæ Medicinę) factum eſt, inquam, vt illa eadem, vaga, opinionibuſque multis, incertis, ac falſis fœdata per omnes ætates, perpetuo hominum vitio, apparentique ſapientiâ, progreſſa ſit, modò vnum cupiens, modò idem ſpernens, modò vnum probans, modò idem damnans : Imò ætate etiam auorum noſtrorum non defuêre pariter, qui de morborum Contagionibus opinionem, anteà quidem inanem, & neglectam, extollere, ſummâ induſtriâ, curarint; ad formámue perfectæ ſcientiæ, curâ quâdam fertiliori, licet induſtriâ nobis mortalibus infeliciori, reducere tentarint, impellentibus mirum in modum ad hunc indecorum errorem iis, quas proximè antè tetigimus, debilitate, libidineque (Καινοτομίαν. i. *deſiderium nouandi dicunt*) ingenii noſtri prauis conditionibus. Ceterùm quoniam huiuſmodi vulgaris, ac recepta contagionum vana opinio, inaniſque ſcientiæ perſuaſio, vt rerum naturæ planè non conuenit; ſic à maiorum placitis plurimùm deſciſcit; ac in detrimentum reipub. apertè erecta videtur; decreui ipſe, & ſtudio veritatis ſtruendæ, & vt mortales ſubleuentur ab hac vanâ formidi-

*Lib. 29. Nat. hiſt. cap. 1.*

dine,

dine, malorum malo, nouam contra illam ipſam, eiuſque auctores, & fautores inire diſputationem: Enimuerò vulgaris opinio philoſophantibus ſemper ſuſpecta eſſe conſueuit: hinc Stoici paſſim ab hac diſcedunt, & recedunt; ſic Diogenes Cynicus, qui aliis egredientibus è theatro ipſe contrà ingrediebatur; ſic Pythagoras ſymbolo illo, *per viam ne incedas publicam*, nil aliud docere voluerunt (interprete etiam Philone doctiſſimo) quàm vulgi opinionem, & inſtituta non eſſe conſectanda; ſic tandem Phocion multitudinis iudicium dicebat pariter deprauatum, aut ſaltem obtuſum: Eapropter & ob hęc omnia (mi ſodes) & ob eam, quam tibi pariter arrogare ſoles, in veterum, & recentiorum inuentis examinandis, auctoritatem, mei in pari argumento perſiſtentis ne inuideas poteſtatem. Nam cùm τοῦ εἰδέναι deſiderium naturâ inſitum circumgeſtemus, illius autem ſubiectum (quod ſuperiùs tetigi), noſtri cauſſâ, Proteo ſit magis varium, ne dicam incomprehenſibile, circa paria exerceri animum quid vetat? Id autem mihi eò libentiùs hic permittendum: quòd totus labor noſter in ſalutem, & commodum non exiguum generis humani; nec non in defenſionem ſimiliter ipſius dignitatis humanæ (quæ leuia & inania credere haud debet;) maximè verò in propugnationem veluti magni Hippocratis, & Galeni, ceterorumque ſapientiſſimorum veterum ſuſceptus verè, & comparatus ſit: quippe illi omnes, quòd penè contagionis huiuſce latiſſimæ notitiam contempſerint, medicinæ, ac philoſophiæ quaſi ignari, hac contagii vulgaris, & extremi nouâ, inanique recentiorum ſcientiâ, temerè facti videntur. Et puto ego indecoram hanc contagii corporum opinionem antiquitùs (nam & in vetuſtioribus Hiſtoriarum libris adſunt veſtigia contagii, ac ſemina, incunabulaque iam peruagantis morborum ſuſpectus) vulgi inexperientiâ (excipio ſemper Iudæorum antiquam contagionem, de quâ, vt in tempore commemorabo, alia ratio;) ac admiratione rationis & modi inuadendi ſerpendique nonnullorum præter naturam corporis affectuum (vnâ plures obſidentium;) formidine inſtantis morbi & mortis multoties repentinæ (quo tempore monſtra & inania audiuntur, finguntur, & creduntur;) necnon inſuper auidâ

illâ noſtrâ inſitâ viuendi cupiditate (puto, inquam, dictam opinionem) in animis vulgarium hominum fuiſſe primùm latenter veluti conceptam, dein poſteà partam, ſcriptis, ac memoriæ traditam, & ſucceſſiuè credulitate mortalium, ac falſis experientiis enutritam, adultamque; tandem verò ex hac humili ſui ortus ſorte ſita poſſeſſis facilis ad credenda accipiendaq; omnia vana mortalitatis ſenſib. creſcentib. ſim liter in dies, in his blandiſſimis, deſideratiſſimisque ritibus vanâ ſalutis ſpe aſperſis, hominum applauſu ac ſuſpicionum & credendi temeritate) eouſq; progreſſa huiuſmodi perſuaſio, opinioue (antea, vti dicebam, languida, peregrina, vaga, incerta) vt in ſummo exiſtat, ac monumentis (quæ vt dubia & falſa refellere decreui) rationum apparentium firmata ſit. En habes modo integrè & conſilium meum, & conſilii potiorem rationem.

## CAPVT III.

### *Quo indicatur prmùm forma & diſpoſitio Operis, & tandem ſimulata falſaque radix, metus & vani ſuſpectus contagionum.*

SCRIPTI forma & diſpoſitio hæc erit. Cum ſim de contagio corporum maxime tractaturus; ac oſtenſurus popularem hãc, quæ de ipſomet contagio, deque contagii principiis, ac paſſionibus excogitatis circumfertur his ſæculis, opinionem, vanum quid, atque fictitium eſſe; operæ pretium, ſi ea, quæ in operis tractu dicturus ſum, rectè intelligi percipique debent, nonnull.. præſentur: Erunt autem iſthæc tria. Primum enim videndum quid nam ſit hoc contagium, ſeu quæ ſit putata natura illius rei, illius cauſſę, quę facit (prout credit multitudo, atque proditur) vt non modò peſtis nequiſſimus morbus, verùm etiam quidam alii pręter naturam corporis affectus ſeorſum (quod non putant ceteris accidere) communicentur viciſſim inter homines, tranſeant in-

ant infectione de vno in alium. In hacque materie explicandâ non ex ratione & naturâ rei ſtatim procedam, vti fieri adſolet in iis, quæ clarâ, omnibusque, vt præcognita quædam, conſpicua ſunt. Nam ambiguum, nec vllo modo clarum, an vlla contagii animalium ſeu corporum eſſentia verè reperiatur (cùm poſſit eſſe contagium tale, vox nuda;) etſi qua contagii eſſentia ſeu natura reperitur hæretque morbis, adhuc non conſtat nobis, quæ nam ea ſit. Quapropter loco huius, quod in verâ & planâ, quò ad eſſe, re præſtandum eſſet, ea, quæ ab aliis Diſciplinæ huius auctoribus de naturâ & eſſentiâ contagii traduntur, ac vulgo creduntur, referam. Idque ordine ac methodo quâdam clariori, plurimumque lucis rei & veritati ſtruendæ vbique addente agam & enarrabo, à communioribus ſemper, ac nobis notioribus, dicendorumque veluti principiis exorſus; vt aliqua, ſi non ipſius naturæ, ſaltem doctrinæ in huius operis ratione, diſpoſitione, atque ordine conſequentia, ac ſcientiæ facies ab initio etiam, ac vndique eluceat. Secundo loco inueniendæ differentiæ ſeu ſpecies à ſuperioribus excogitatæ huius contagii. Tertiò patefacienda ſunt principia, vel vt ipſi rei duces dicunt, ſeminaria cuiuslibet ſpeciei, ſeu differentiæ. His autem iuxta communem, vanamque opinionem breuiter præfatis, oſtendam tandem, & feliciter (ni fallor) tùm in vniuerſum, tùm maximè priuatim in vnoquoque ſcilicet morbo paſſim contagioſo habito, dictam, & ab hominib. auidè acceptatam morborum extremam contagionem eſſe rem inanem &, vt dixi, fictam: Idque præſtabo rationibus ſatis probabilibus, ac ferè demonſtratiuis, cognitionem atque ſcientiã priuatam (ſic appellant) hac in parte ſtruentib. & patientibus: Quo loco etiam explodam argumentorum momentis, vndique tunc naturæ ipſe hærens, aduerſatiorum ſententias, euertam nimirum languida & titubantia eorum fundamenta; inſperſis opportunè vltrò variis, rei noſtræ mirè fauentibus, inſignium ſcriptorum auctoritatibus, ac prudentiũ experientiis: Vti pariter dexterè omnes neruos contendam, vt punctus fallaciæ vulgarium, in concipiendis & formandis hiſce contagionibus, detegatur; quarum contagionum ſimulata & falſa radix vt plurimùm ſunt concepti morbi communio, & ſimilitudo, inſimul vnâ admirabiliter emanantes

modò ex peſtilenti aëris impreſſione; modò ex hereditate affe-ctuum præter naturam corporis paternâ, maternaque; modò ex ſympathiâ naturarum: modò ex vi imaginationis; modò ex pari, pluribus hominibus communi, externo errore; aut conſimilibus. Quædam pariter aut à re pendentia, aut rei hærentia non ſine fru-ctu addam, minimè tamen à ſcopo principalique argumento ab-errans, ſed propoſito vbique inſiſtens.

## CAPVT IV.

*Proponuntur duæ obiectiones, quæ meritò auctori ſtatim fieri poſſunt, & ſoluuntur. Quæ mala mortalibus ex receptâ opinione, quæ bo-na è noſtrâ manent & fluant.*

NON defuturos tamen ſcio (vt id pariter non taceam) qui, vt omnibus ad reprehendenda aliena dicta & facta ardet ani-mus, quaſi confirmatam iam (vt paullo antè faſſi ſumus) in o-mnium mentibus opinionem auferre, prorſusque deiicere para-doxo hoc, quo hominum vulgus fugamus nobis, & auertimus, cùm velim, factum meum, primâ facie, ſeu vanum, ac arrogans, audax profectò negotium, necnon munus impudentiæ, vel te-meritatis plenum inſectentur. Ceterùm iſti tandem cùm vide-rint, nos cum rationibus credibilibus, è puriſue philoſophiæ fontibus deſumptis ad veri inueſtigationem candidè ſemper progredi, nec quidquam ab inſtitutis perilluſtrium philoſopho-rum, ac medicorum recedere, ſpero, illos eoſdem opinionem commutaturos; laboremque nobis ſuſceptum, non ſolùm vt nouum, verùm etiam vt vitæ vtilem ac percommodum collau-daturos: Quod etſi non plenè aſſequatur hoc ſæculo: quòd præiudicata, communitérue recepta opinio (non rectè naturæ

lex

lex Ciceroni dicta ) non minimum fauorem, & fidem detrahat inauditæ ferè, vel nouiter ſaltem liberè animaduerſæ, atque cognitæ, de contagio ſententiæ; & quòd laborioſum, & admodum graue ſit,cogi conſuetudinem, & habitum, valetudinemque hominum; & quòd tandem nihil proficiant præcepta,quamdiù mentis error obfuſus eſt ( propter quod Seneca dicebat, *deſinit eſſe remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores ſunt* ) placet tamen ſperare id genus honeſtæ laudis à futuris ſæculis, dum is error diſcuſſus erit, & homines falſo ſuſpectu minimè occupati erunt, nobis negatum haud iri : eò quòd videmus, & ceteras quaſque opiniones fictas, atque vanas, etſi ſæpè dictas, ſemperque auditas, & multis annis, diuturnitate extabeſcere ; & tandem, quod firmum & ſolidum in rebus exiſtit, ab hominibus cognoſci ; quodque probatiſſimum antè videbatur, nunc incredibile cenſeri : Quod patet iam ( vt exempla demus ) nedum de Moſchi, ſeu Epicuri, ac Democriti atomis ; de Pythagoricorum exoletis numeris, ab Ariſtotele, atque aliis philoſophis iam olim improbatis & euerſis ; ſed maximè de faſcinatione, & præſtigiis, magis, ſagis, ſortilegis, ſcriptis, ſignis-, characteribus, anulis, atque ſimilibus ſuperſtitioſis vanitatibus, ac vanitatum auctoribus eueniſſe : Horum enim omnium inanitas, atque fallacia, ab Epicureis, Cyniciſque philoſophis antiquitus pariter vexata, ac deriſa, non modò viris doctis, verùm etiam rudibus ac plebi pernota exiſtit : ſiquidem hodie rei inanimæ, ac coloratæ denegatur vis agendi ( niſi illi adſiſtat diabolus, humani generis hoſtis ferus & immanis, cuius illuſione multa Dei permiſſu fieri poſſe trans naturam admittit veritas, ac religio ; (quin potiùs viceuerſa rebus omnibus, quæ corpora non ſunt, aut eorum motus, cuncti periclitantur diffidere : Eapropter minimè deſperandum, cum contagio corporum ſit quid ſimile, fictum atque imaginarium ( ſine cuius ſuſpicione in tantâ temporum infinitate, cùm priùs aut neglecta, aut incognita fuerit, benè

viuere licuit) quin & idem eueniat illi ipſi; & vltrò ii, qui tali credulitati ſtudiis obſiſtunt, inexpugnabilemque ſæculis, & per aliquot ætates tritam opinionem, & metum ſternunt, debitam palmam tandem conſequantur: Ratio enim huius inſtituti noſtri & ſi ſtatim aſpecta non placebit, inſpecta certè, nuda, ſine opinionum vllâ veſte aut perſonâ, non iniucunda futura, vireſq; magis à tempore capiet, & vt Poëta ait:

*Horatius 1. Carm.* *Creſcet occulto, velut arbor, æuo.*

Nam illa vera eſt boni & induſtrii agricolæ commendatio, quâ cum illo dicitur: *Scrit arbores, quæ alteri ſæculo proſint.*

Alii forſan (& eſt ſecunda dubitatio) dicent, quod conſultius, & conducibilius humano fuiſſet generi, argumentum hoc nos neglexiſſe & miſiſſe, ac in præſenti de contagio opinione, quamuis extremâ & inani, mortales reliquiſſe: quoniam ex hac, etſi fictâ, rerumque curſui, ac euentorum conſequentiæ minimè quadrante, nullum graue detrimentum reipub. enaſci poteſt: quòd contagium & pericula, omni diligentiâ ad faſtidium quin etiam, ſuis ipſa arceat & defendat inſtitutis ac ritibus: Noſtra verò opinio (incertum falſa an vera) ſi ſecus ac nos putamus, haberet, vana ac mendax exiſteret, cùm omnia ferè plana, ac libera polliceatur, & abſque cautione incedat, ac intemeritatem pænè ex fiducia & contagionis contemptu prona ſit, admodum pernicioſa humano generi, futuriſque ſæculis eſſe poſſet. Obiicienti iſthæc nobis non ardua, reſponſio: Nam inuulgata opinio multo pernicioſior, damnoſiorque exiſtit; reduplicat enim hæc mortalitati, fœdâ ſuâ credulitate, moleſtiam, atq; inſuper ingentium plurimorum malorum vbique cauſſam ſe præbet & manifeſtat: Etenim, præter illud commune damnum, quod liberam commeandi, contrahēdique facultatem, omni tempore homini neceſſariam, ſed exoptatam maximè per mala publica, vetat; aliaque praua molitur, turbans iure proprio, mille modis (vt narratum,) ciuitates & prouincias; probandaque culpans; vlteriùs timorem, ſollicitudinem, anxietatem animis hominum, mulierum maximè, ac virorum indoctorum (quæ gens, animoſa minùs) iniicit, iniectaque alit liberiùs contagii ſuſpicionibus, peſte ipsâ iniquioribus: ſiquidem plebs

plebs vniuerſa, humilis, media, imò proceres etiam indocti, falsâ contagionis perſuaſione decepti, extiment corporum vultum, aſpectum, acceſſum, tactum, ceterorumque fomituum terribilia quæque religioſa contagia (dum peſtis impendet, ac peruagatur, crebra morbo, & funeribus) quàm vagum, patensque vitium aëreum, facem & originem veram malorum: vt pote cuius cœleſtis aëreique vitii, vtplurimùm abditi, rationem, vim, ac validum terrorem pænè illi idiotæ & doctrinarum expertes cùm ignorent, ita quoque illius contagia atque pericula & contemnunt, & deſpiciunt, veluti imprudenter, fermè omnes: At viceuerſa præ terrenis, & corporum contagiis (ſicuti dicebamus) vulgum inſolita incedit formido, vnde affligatur ſeſe, miſeratur charos, exinanimatur, omnia paueſcit; Timor hic poſteà, aſſidens, imò hærens animo, ex perlatè patentis contagii miſerrimo (latiorique quod ex incerto) pauore inter ſuſpicioſos, faciles, & leues homines ortus, nedum omnem, quam lux & vita dare ſolet ſuauitatem iucunditatemque malignè (vt dicebat Plinius) aufert; ſed vlteriùs deſperare, & anxiare animos, in aliis periculis & diſcriminib. tunc verſantes, maximè facit. Vis dicam noua, & ineuitabilia peſtis diſcrimina (ſilente etiam & miſſà contagionis formidine) in rem tamen facientia? Audi. Turbæ feminarum, reliquorumque hominum confuſa multitudo ob fratrum, aut filiorum, aut parentum, aut cognatorum, aut amicorum cognatis carorum, imò ipſius etiam plebis vniuerſæ varios, acresque morbos, frequentes, innumeróſue interitus, cottidiana funera, fugas (etenim nec leges, nec ciuitatum mœnia obſtant pauori) rerum ſuſpectarum adſiduas vſtiones, perpetuas lamentationes, ploratus, ſuſpiria (quibus omnia plena ſunt, domus, plateæ, fora) ac ob alia tùm priuata, tùm publica mala, confuſa, inquam, multitudo, triſtiſſima, ac vileſcens exiſtit: animi videlicet in varias diſpartiti ſunt curas; nec quiſquam ſatis certum habet, quid in tot, tantiſque periculis, multitudiniſque pernicie, ac ſuperſtitum paucitate; in caſibus peſtis, in ſorte humanâ, in publico malo (in quo ſemper dolor grauiſſimus & acerbiſſimus) aut ſperet, aut timeat, aut vetet, aut petat: Adeò vt D. Cyprianus, vigente peſte, coactus fuerit, Libello illo ſuo de Mortalitate edito, ob ea quæ proximè narrata ſunt, medicinam facere æuo; ac

traditis inculcatiſque fidei noſtræ muneribus; ac ſpe futurorum & cœleſtis gloriæ piis mentibus oblatâ, ſuos exterritos nimis, atque ærumnis mortalitatis, publicè: (hoc eſt impetu, & turbâ) ſæuientis, molliores factos firmare & ſolari. At noſtris temporibus cùm impendentis formidatæ contagionis iniquus metus accedat vltrò his malis; vniuerſaque pericula vnâ mole pectori noſtro ſeſe offerant, ac in animum irrumpant, eumque veluti mancipent, ac de ſuo ſtatu deiiciant; euenit, vt corpora animi firmitate & robore deſtituta, ſalutique valetudinis ſic diffidentia, morbis, atque veris periculis imbecilla & proſtrata ſeſe magis (quod nocentiſſimum tempore peſtilenti, auctore

*1. de Nat. hum.* Hippocrate, ſeu Polybo) tradant. Nam timor, atque mœſtitia, quæ varia ſunt atque diuiſa, abſumunt, vt dici ſolet, ſpiritus, & exſiccant ſanguinem: His autem abſumptis, commixtiſque, vis illa diuina, quæ nos viuentes intrinſecus regit, congruenter moderatur, ac gubernat; calor nempe naturalis; fractus ac debilis euadit, debili facto, humores, & ſpiritus (ſic liceat nunc cum Galeno loqui) haud regere valet, illis autem à calore naturali atque proprio deſtitutis, nec coercitis, euagantur, & effluunt; hinc externo, ſeu ambientis, calore, morboſis immundiciebus, inquinamentis referto, capiuntur, deuruntur, putreſcunt, ac diuerſis modis, prout ſors tulit, ac rei natura poſcit, corrumpuntur, vt cumulatiſſimè docuit nos perſæpè idem Galenus. Vnde poſtea animal ægrotat ſubitque mortis, vt innuimus, pericula. Sic Plato diuinus, loquens ſub perſonâ Socratis

*In Charmide.* admirandi, ritè dicebat: *morbos fermè omnes ex animo in corpus deri-*

*Plinius lib. 28. c. 9.* *uare:* Quod attingens ſimiliter Plinius ſcitè monebat: *Sympathias, & antipathias religione quandoque nobis fieri*: ſiquidem animus noſter dum vehementer turbatur, minimè dubitandum, quin & ſibiipſi, & corpori innumerabilium morborum (vt faſſi ſumus) cauſſam præbeat; mortemque fugando, ac timendo, o-

*Id. Plinius.* cyùs ad hominem trahat, validioremue efficiat: *Oſtentorum enim vires in noſtrâ ſunt poteſtate, ac prout quæque accepta ſunt, ita valent*, ait ille. Vnde pariter quiſpiam ſcribebat. *A capite bona valetudo eſt. inde omnia vegeta ſunt atque erecta, aut languore demiſſa: prout animus*

*animus eorum viget, aut marcet.* Verùm noſtra opinio, plus mortalitati neceſſaria, quàm iucunda, cùm omnem contagionis corporum ſuſpicionem irritumque timorem, efficacibus rationibus, & exemplis (in quibus magna vis ad probandum imò commendandum) nedum reſtringat, è medioque tollat; ſed etiam quâdam rei inuulgatæ merâ inanitate freta, penitùs totam hanc animorum noſtrorum vanam ſollicitudinem ſpernat, ac derideat, ſuperſtitionem, damnoſamque ignorantiam exuat; mentibus, non tam opinione, quàm ratione, det magnitudinem ſolidam; ac peſtis, ceterorumque in vniuerſum communium (ſic ex me dictorum) morborum veras cauſſas tradat, prudentiâ ſtabili, minimeque fluctuanti ſecuritate, confidentiâ, & alacritate, imbecillitati noſtræ ſolatium præbet (*arx enim inacceſſa, & inexpugnabile munimentum, munimento non egere*, ait ſapiens Romanus) ſubleuat, in- Seneca. quam, à mœſtitiâ, & dolore ſegnes, & ignauos ſuperſtitioſorum animos; horrendaque in ſpeciem reddit in animo ex aſpectu veluti lenia; fugatque valentiſſimè in parte hac omnem peſtis perniciem, & tam animi, quàm corporis morbos. Hinc optimè dictum fuit à Thucydide in enarratione illius Athenienſium moleſtiſſimæ peſtis (quod recipit pariter Lucretius) confidentes & infractos homines minus ceteris luem illam ſenſiſſe; formidantes verò ac puſillanimos viceuerſa magis periclitatos eſſe. li. de inſomn. Nam, vt Ariſtoteles ſummus philoſophus memoriæ mandauit, vehementes animi affectûs faciunt, vt cuiuis in eâ re, cui afficitur, facilè capiatur. Vnde pariter à poëtis dictum:

*Timuiſſe nocet, multi ad fatum*
*Venere ſuum: dum fata timent.*
*—— multos in ſumma pericula miſit* Lucanus.
*Venturi timor ipſe mali.*

*Timidis & ſuſpectis mors aptiſſima eſt.* Cato.

Diogenes his conſonat, ſcribens: *Adeò difficilis & mala res metus eſt, vt multi anteceperint ipſum factum, id eſt, id quod timebatur:* Imò cottidiana experiĕtia oſtendit, non paucos in id morborum

prorſus incidere,quos verentur: Propter quod etiam (ſi licet miſcere ſacra profanis) Iſaias dixit. *Et ego eligam illuſiones eorum, & quæ timebunt, adducam eis*: ſic pariter ſapiens, qui omnia arcana naturæ ſubodorauit, dicere viſus eſt. *Quod timet impius, veniet ſuper eũ.* Hâc eamdem met timoris (quem importunum radicitùs euellere ex animis mortalium cupimus) ad nocendum vim egregiam cùm Plato, quem anteà nominabam, optimè agnoſceret, ſapienter item monuit, ne matres figmentis, vaniſque fabellis filios terreant; neue pariter horrendorum ſermones in vulgus vllo tempore ferantur: Quaſi certum ſit ex omni parte, rudes, ac ſimplices homines terroribus non modò molliores euadere, & flacceſcere; ſed vltrò in morbos verè incidere: Quod eò impenſiùs formidandum in publico malo, in peſte: quòd morbus hic (ſuper dicta) nouâ ratione promptè, impetu, & turbâ, irruat in homines, ac cõfertâ velut acie obruat admirabiliter reſiſtentes: quandoquidem, & vitio tacto aëris, & opinione etiam huiuſmodi affectio plurimũ propagatur: Etenim nonnullos, ſeu inuadente ferâ, pauor peſtis corripit, aut adumbrationis contagiiue, ſiue aëris, ſiue corporum, opinio incedit, atque ex metu, opinioneque vanâ, naturam veluti prouocantes, inficiuntur; vel abſque præcedente notabili infectione, abſque peſte, formidine vnâ, dum latius metuitur, pereunt *Multi nimirum ob vilitatem ingenii, & criminationes periculi ac mortis moriuntur, ne moriantur*, ait ritè Plutarchus. Vt non immeritò receptum ſit à quamplurimis omnibus id, quod ſcriptum inuenitur apud eundem Plutarchum, nimirum Thaletem quemdam Cretenſem à Lacedęmoniis peſtem tum graſſantem fugaſſe ſolâ muſica, cuius Thaletæ mentio etiam fit apud Pauſaniam, & nonnulli credunt, nihil aliud fuiſſe muſicam illam Thaletæ, & eorum ſimiliter militum, qui apud Homerum peſtem fugabant, niſi ſpem, gaudium, atque lætitiam, quibus mediis periculo peſtis magnâ ex parte obuiam itur: quòd calor natiuus ratione, priori illi, (quam paullò antè tetigimus) contrariâ ſuſcitetur; ſanguis ac humores extenuentur; vires tum animi, tum corporis augeãtur: vnde euenit, vt quidquid animum erexit, etiam corpori proſit. Hinc optimè dicebat Plautinus: *In cunctis bono eſſe animo, dimidium mali eſt*: Sed expreſſius ad propoſitum noſtrum cecinit ille

*Conſol. ad Apoll.*

*lib. de Muſica.*

*lib. 1.*

*Lætitia,*

*Lætitia, & riſus reparant me, gaudia ſeruant*
*Incolumem, exanimant ira, metusq́ graues.*

Quapropter ſcenicos ludos, T. Sulpitii, & C. Licinii Stolonis Coſſ. tempore, primùm apud Romanos in remedium peſtilentiæ inuentos, non modò ad placandos nouo inſolitoque illo religionis cultu Deos, inuentos, ac receptos fuiſſe crediderim, quàm vt homines afflicti, inſolito ſolaminis iocique genere, à metu tunc graſſantis morbi reuocarentur: Quandoquidem alacritate tali, ac ſpe in ſeipſis conceptâ, & receptâ, mœſtitiaque lenitâ veluti confirmati, fiduciam & robur reaſſumentes promptiùs ſæuientis corporũ & animorum peſtis vi & inſultui reſiſtebant. Non igitur importuna, non periculoſa iſthæc perſuaſio noſtra, cenſenda: In quâ experiundâ (vt id pariter addam) ſi imperitantes vniuerſo periculo ſummam rerum committi etiam nolũt; primùm paruis momentis leuium contagionum, in locis minutis & vilibus admiſſarum neglectarumque, ſenſim ac latenter, vt aſſueſiant territorum, priſtinis, & receptis paſſim periculis, mortalium animi permittere, occulto & abdito pauore, poſſunt; ac re dein ſemel, atq; iterùm comprobatâ, relaxare eamdem alacriter animoſiores ſic facti queunt, donec ſuſpectus & pauores recedãt: Non itaque propoſitæ obiectiones (vt finem huic Præfationi ſeu Introductioni tandem imponam) tales ſunt, vt à noſtro inſtituto & ab hac tractatione, vel maximè vtili, vel etiam neceſſariâ, nobiſque permagno ſtudio ſcrutandâ aliquo modo reuocare, retardareue nosipſos valeant: Planum eſt illud Platonis: λοιδορεῖν πράγματα ἀνίατα καὶ πόῤῥω προβεβηκότα ἁμαρτίας, ἠδαμῶς ἡδὺ, ἀναγκαῖον δὲ ἐνίοτε εἶναι: 2. de leg. *vituperare res malè affectas & longiùs in errorem progreſſas, minimè incũdum, ſed neceſſarium interdum eſſe.* Ad rem igitur commodùm deueniamus, *admodumq́ vulgata* (vt ille dicebat) nõ *tractabimus: Sed quæ non conſtare animaduertimus incerta atq; dubia, in quibus maximè fallitur ritibus ac vitâ*: dignior profectò cauſſa, cui omnis liuor, detractioque (vti anteà dicebam) acquieſcat. Ante omnia autem quæ ad cuncta contagionum genera pertinent, quod polliciti ſumus, ex receptis indicabimus: Hinc ſumpto exordio.

Finis Præludii.

*In libris autem, qui indicantur, & exſtant elaborati apud auctorem, non modo de peſtilentia, ac cuiuscunque alterius morbi in vniuerſum communis iuſtis cauſſis, ac verâ naturâ luculenter agitur: ſed inſuper hodierna* CONTAGIONIS *tum pericula, tum remedia, irrita ac inania eſſe, copioſiſſimè oſtenditur: Id quod etiam in parte atteſtatur ſequens Index capitum; per quem vltro Lector in vno aſpectu habebit filum totius operis & contextum.*

INDEX

# INDEX CAPITVM.

## LIBER PRIMVS.


CAP. I. *Dubium, & dubii ſolutio. obiter de ordine quæſtionum nonnulla dicuntur.*

II. *Variæ contagionis definitiones ſeu deſcriptiones, ex recentiorum ſcriptis deſumptæ afferuntur.*

III. *Plenius dictæ definitiones explicantur; partim etiam coarguuntur.*

IIII. *De differentiis ſeu generibus contagionum.*

V. *De contagionis principiis ſeu cauſſis.*

VI. *Nulla datur contagio in morbo. Ratio prima Gregorij Nyſſeni.*

VII. *Rationes Ariſt. cur morbus ſit contagioſus; cùm ſanitas morbo contraria haud vmquam ſit talis.*

VIII. *Reſpondetur prædictis Ariſt. rationibus.*

IX. *Ratio auctoris lib. Prob. medicinalium, propter quam morbus putatur contagioſus, ſanitate minimè tali vllo tempore exiſtente.*

X. *Reſpondetur prædictæ rationi.*

XI. *Dubia duo.*

XII. *Soluuntur propoſita dubia.*

XIII. *Secunda ratio, propter quam non datur contagio in morbo & corporis diſpoſitionibus.*

XIV. *Tertia ratio.*

XV. *Quarta ratio.*

XVI. *Quinta ratio.*

XVII. *Sexta Ratio.*

XVIII. *Septima Ratio.*

XIX. *Octaua, & vltima ratio.*

XX. Afferuntur veterum præcipuè philoſophorum, & medicorum loca, quibus fit mentio contagionis, ac oſtenditur illa minimè fauere vulgari opinioni. Hipp. Loca.

XXI. Lucretii de contagionibus, ac ſeminariis morborum ſententia. Quædam pariter, de iiſdem rebus, Virgilii, & Lucani, nõnulla etiam Democriti.

XXII. Platonis verba de cauſsâ peſtis, & morborum ſeminariis afferuntur.

XXIII. Sententiæ Ariſt. iterum, & diffuſè explicatur; & partim etiam emendatur & reiicitur.

XXIV Sententia auctoris Prob. Medicinalium de contagione pleniùs ſimiliter examinatur, & reiicitur. Explicatur etiam quid denotet vox μάλιστα apud Ariſt. 4. Prob. 1. part.

XXV. Senecæ, M. Varronis, Plutarchi, Apollonii Tyanei, ac Homeri ſententia de cauſsâ peſtis, ac morborum communium.

XXVI. Galeni, Auic. aliorumq́; auctorum variæ de peſtis contagione ſententiæ, parùm fauentes vulgari opinioni.

XXVII. Verba Plinii de contagione habita examinantur. Mentagra, morbus olim Italiæ familiaris, haud contagioſa. luis venereæ quæ vera & antiqua origo.

XXVIII. Quid de poetis ſentiat auctor, an ipſorum auctoritati, ac doctrinæ plenè fidendum ſit iis in rebus, quæ ad naturam ſpectãt.

## LIBER SECVNDVS.

Cap. I. Peſtis non eſt contagioſa; ſed tantùm communis, publica, atq́; horrenda ægrotatio: Idq́; diffuſè rationibus, & experientiis, partim etiam auctoritatibus demonſtratur.

II. Phthiſis cur contagioſa putata.

III. Phthiſis non eſt contagioſa; Idq́; pariter rationib. experientiis, necnon auctoritatibus probatur

IV. Quæ fuerit cauſſa, quæ induxit primum vulgum, deinde Ariſtotelem ad credendam phthiſim contagioſam. Quo loco reſpondetur etiam auctoritatib. huic priuatæ contagioni fauentibus. Plenius rei veritas detegitur. Eſtq́; phthiſis horrenda, deſperata, atq́; hereditaria ægritudo.

*V.* *An dentur morbi hæreditarii, & in quo differant ab aliis præter naturam affectibus.*

*VI.* *Qui exactè, qui non exactè hereditarii morbi.*

*VII.* *Morbi hæreditarii abundantiùs ne à patre, an à matre ſumantur.*

*VIII.* *Morbus hereditarius quomodo differat à naturali. Quod hereditarius poſsit etiam duci à parentibus ſanis nullaq; morbi apertâ labe tactis. Quod præter naturam multoties ſit id, quod eſt ſecundum naturam.*

*IX.* *Variolæ ac morbilli non ſiunt nobis hereditate ſeu proprietate vllâ certâ paternâ, contra recentiores diffuſè diſputatur.*

*X.* *Genus prurientium ac cutaneorum morborum, cur contagioſum creditum.*

*XI.* *Genus prurientium, ac cutaneorum morborum non eſt contagioſum. Idq; primùm de elephantiaſi, ac leprâ priuatim oſtenditur. Galeni ſententia de leproſorum, & elephanticorum contagione interpretatur.*

*XII.* *Moyſis verba de leproſorum contagione interpretantur.*

*XIII.* *Cur olim infeſta, atq; frequens Iudæis lepra.*

*XIV.* *Aetii, Auenzoar, & Aui. ſententia de leproſorum contagione interpretatur.*

*XV.* *Cur inſtituta fuerint elephanticis, atq; leproſis remota noſocomia ſeu, vt dicunt, hoſpitalia: Non enim fuit ad euitandum contagium, vt temerè nonnulli ſuſpicantur.*

*XVI.* *Verba auctoris Prob. med. de leproſorum contagione interpretantur. Locus etiam Ariſt. eadem de re illuſtratur.*

*XVII.* *Scabies non eſt contagioſa: ſed ſolummodo frequens, ac ferè inſanabilis ægritudo: Quod intelligendum pariter venit de pruritu, ſcabiei affine & germano.*

*XVIII.* *Variolæ, ac morbilli non ſunt contagioſi morbi, ſed tantùm communes & epidemici, ſeorſum tamen pueros occupantes.*

*XIX.* *Tinea non eſt contagioſa, ſed hereditaria, aliiſq; rationibus communis pluribus ægrotatio: Idem intelligendum de achoribus, ac fauis; Plica etiam in parte, capitis ac menti affectu.*

*XX.* *Strumæ non ſunt contagioſæ, ſed abominabiles, atq; vnà pluribus quandoque communes. Caluitium, podagra, nephritis, conſi-*

mileſq́; ceteri morbi,& ſi hereditarij, cur tamen non contagioſi vulgo habiti. Item catalepſis, apoplexia, Hydrops, atque mania, informes, ac admirabiles ægritudines, cur pariter non contagioſæ paſſim putatæ.

XXI. Varia, quæ circa præſentem materiam occurrunt problemata, proponuntur explicanda.

XXII. Solutio Primi Problematis.

XXIII. Solutio Secundi Prob.

XXIV. Solutio Tertij Prob.

XXV. Solutio Quarti Prob.

XXVI. Solutio Quinti Prob.

XXVII. Solutio Sexti, & vltimi Prob.

XXVIII. De morborum analogiâ: Vbi vniuerſim & ſpecioſè agitur de præparatione ſeu apparatu corporis humani ad varios morbos.

XXIX. Lippitudo cur contagioſa putata.

XXX. Lippitudo cur magnâ ex parte peſtem antecedat.

XXXI. Oculus cur frequentiùs lippitudine, quàm alio morbo tentetur.

XXXII. Oculus & ſi inter omnes corporis partes maximè eſt ab externo frigore, & calore alienus, ac immunis, cur tamen promptiùs reliquis partibus ex intemperie temporum ægrotet, qualitatumq́; primarum labores ac detrimenta perſentiat.

XXXIII. Lippitudo non eſt contagioſa: Nec dantur oculi venefici ſeu faſcinatorij.

XXXIV. Reſpondetur auctoritatibus lippitudinis contagioni fauentib. Imaginatio, atq́; animi affectus, vt morbos ſæpè in homine pariunt, ſic partos nonnumquam ſanant. Remedia ſuperſtitioſè morbo adhibita, ſi iuuant, id, non vt ſuperſtitioſa, ſed vi naturali, rudibus tamen ignotâ, faciunt.

XXXV. Morbi à tota ſubſtantiâ, Fernelio dicti, manifeſti, non ſunt contagioſi. Grauedo item, raucedo, tuſſis, angina, pleuritis, peripneumonia, aſthma, dyſenteria, ſcorbutus, plica etiam per totum corpus diffuſa, non ſunt affectiones contagioſæ.

XXXVI. Epilepſia, ac vteri præfocatio, cur olim affectiones contagioſæ putatæ, nunc autem minimè.


XXXVII.

*XXXVII. Brutorum morbi non ſunt contagioſi.*

*XXXVIII. Piſces an ſentiant peſtilentiam : Contagio non datur in eorum morbis.*

*XXXIX. Datur contagio impropria & per accidens in morbo & ſanitate, corporis diſpoſitionibus. Eſtq; contagio multoties apud auctores quid diuerſum ab eo, quod multitudo credit ac ſuſpicatur. Plus nimirum periculi huic morborum contagioni adijcit opinio, quàm natura.*

*XXXX. Sanitas cur non ita palàm contagioſa appareat aut credatur, vti morbus : A morbo inquam, ſaneſcere, cur non admirabile.*

*XXXXI. Pulchra quædam de lue Venerea, ac rabie, morbis euidēter, licet per accidens, contagioſis.*

*XXXXII. Lues Venerea, eſt epidemicus morbus, qui adhuc fouetur abdito cæli vitio.*

*XXXXIII. Incertum eſt tempus durationis & perſeuerantiæ peſtilentiarũ; modoq; breue, modo longum.*

*XXXXIV. Cardanus explicatur, Valloppius improbatur de tempore durationis & perſeuerantiæ peſtium ſeu epidemialium morborum.*

*XXXXV. Plica, ſcorbutus, etſi morbi veneno ſi, minimè tamen per accidens contagioſi ſunt. Non ſic autem ſtatuendum de lue Morauicâ, bruno Gallico dictâ.*

*XXXXV. Definitio contagionis à Fracaſtorio traditâ ſummatim refellitur.*

## LIBER TERTIVS.

*CAP. I. Refelluntur argumenta aduerſæ partis contagionem adſtruentia. Qualitates ſpiritales corruptiuè minimè agunt.*

*II. Vapor, aut ſpiritus ægrotantium, etiam peſte, inſenſibilis minimè externa ſana corpora afficere iuxta tactus ſenſorium, morboſè, inquam, valet.*

*III. Veneni vapor an hominem interficere poſſit.*

IIII. *Fomes ſeu morbi, ſeu corporis ægrotantis, minimè externos ſanos & puros afficere valet.*

V. *Peſtis an manu fieri, id eſt, an fraude, venenis, ac maleficiis accerſiri poßit.*

VI. *Afferuntur teſtimonia vel exempla affirmantia plurimam vim & efficaciam ineſſe vulgari & formidatæ fomituum contagioni.*

VII. *Aliud eſt peſtis, aliud mortalitas ſimplex: In verâ peſte, cum aer ſit vitiatus, fit vt eodem tempore plurimi, præparati & diſpoſiti ſint ad morbum aut repentinam mortem. Primum ſuppoſitum, nobis vtile futurum.*

VIII. *Tempore peſtilenti ægrotatio, atque mors frequentes ſunt, imò adſiduæ; ac incertus vtriusq; ac vagus modus & inſultus. ſecundum ſuppoſitum.*

IX. *Tempore peſtilenti, vt omni alio, ægrotatio, atque mors, etiam repentina, hominibus contingere poſſunt, citra peſtem, aeris nequitiâ, eo nimirum communi putredine vitiato atq; corrupto. Tertium ſupp.*

X. *Multa fiunt per accidens, quæ creduntur fieri per ſe. Quartum ſupp.*

XI. *Reſpondetur exemplis atq; hiſtoriis ſuperiùs contra noſtram opinionem adductis, & primò generatim.*

XII. *Reſpondetur teſtimonio Apiani Alexandrini, palam affirmantis Celtas ſupercaptos fuiſſe peſte ob contrectationem & vſum rerum Illyricianarum ſuſpectarum.*

XIII. *Peſtilentia cur familiarior ſit vni regioni, quàm alteri.*

XIV. *Reſpondetur Sabellici hiſtoriæ de combuſtione infectarum rerum in peſte; Quæ combuſtio inaniter admittitur his caſibus. Qui primi cœperint creare præfectos ſanitatis.*

XV. *Aſpectus intra domos ægras atq; ſuſpectas; congreſſus item, colloquium cum infectis; & ſimilia, ſunt incerta & indeterminata, non autem per ſe, peſtis aſperſæ, exceptæ, diffuſæ cauſſa.*

XVI. *Aer peſtifer ſeu venenatus quomodo agat in corpus humanum. Mortes ſubitaneæ cur contingant in peſte.*

XVII. *Quæ de ingreſſu intra domos, vel naues ſuſpectas, de congreſſu, colloquio (cum infectis;) & ſimilibus dicta ſunt, plenius explicantur.*

*tur. Euſeby Pamphili, Euagrij, & Nicephori Calliſti hiſtoria de contagione tangitur. Et quidquid officit rei noſtræ diluitur, reyciturq́ valentiſsimè.*

XVIII. *Reſpondetur teſtimonio Bocatij, aſſerentis duos ſues ſtatim interijſſe ob contagium rei fomite peſtifero aſperſæ.*

XVIIII. *Reſpondetur Auctoritati Thucydidis, & Lucretij, affirmantium contagionem peſtis.*

XX. *Medici omnium primi pereunt in peſte, non ob contagionem; ſed aliâ ratione.*

XXI. *Animalia carniuora, cur non attigerint cadauera peſtilentialia apud Athenienſes.*

XXII. *Reſpondetur Liuij, Halycarnaſſæi, ceterorumq́ hiſtoricorum teſtimoniis, contagionis opinioni, & periculo fauentibus.*

XXIII. *Reſpondetur auctoritati Aureliani, quæ auctoritas inuulgatæ opinioni fauere videtur.*

XXIV *Commercium, liberaq́ hominum, etiam frequentium conuerſatio, non ſunt vmquam cauſſa ortus, aut progreſſus peſtis. Ac rationibus, & experientiis, quæ contrarium affirmare videntur, reſpondetur. Cur crebræ in bello ex morbo mortes. cur poſt bellum peſtis.*

XXV. *Vti interitus hominum, ſic & ortus quandoq; certis locis creber eſt, atq; admirabilis: nimirum peſtis & ſalus publica alternè quodammodo, & ſuis vicibus, & ſi incerto ordine, vigent & graſſantur. Peſtis cur formidoloſior in ciuitate, & pace, quàm in bello & caſtris.*

XXVI. *An plures ſint anni inſalubres ſalubribus, ſteriles fertilibus: ſalus publica, & partus hominum crebritas, minus peſte admirabiles.*

XXVII. *Opinio vulgaris, cunctisq́ hominum ſuffragiis approbata, vt plurimùm vera eſt: Quomodo id intelligendum.*

XXVIII. *Duæ pulchræ difficultates, quæ ex dictis prodeunt, proponuntur, & diluuntur.*

XXIX. *Quomodo Hiſtoria faciat ad artem ſeu ſcientiam. Solutio primæ difficultatis.*

XXX. *Quo præter naturam affectu contingant mortes ſubitaneæ in peſte. Solutio ſecundæ dubitationis.*

F

XXXI. *Afferuntur noua rationes negantium, aerem ipſum multoties quippiam contuliſſe ad peſtem concipiendam, excitandam aut alendam: cùm tunc ex vno contagio eam ortam, tales credant.*

XXXII. *Peſtis propriè dicta fit ſolo cæco aeris vitio; propriè minus verò ab omni aeris intemperie, maximè autem ab humidâ, & calidâ, auſtrinâ excitari, & foueri ſolet. Reſponſio ad primam aduerſariorum rationem.*

XXXIII. *Autumnus cur magis ceteris anni temporibus pateat morbo, & peſtilentiæ.*

XXXIV. *Auſter, cur morboſior ceteris ventis.*

XXXV. *Siccitas, cur ad perimendum celerior ſit aliis qualitatibus. Locus Amm. Marcellini illuſtratur.*

XXXVI. *Locus Vitruuij de incommoditate, & inſalubritate Mytilenæ oppidi illuſtratur. Quædam alia de auſtro, cauro, & aquilone ventis ſubadduntur.*

XXXVII. *Aquilonis venti afflatus poſt auſtrum vigens, quo pacto nobis Europæis modo ſalubris ſit, modo inſalubris.*

XXXVIII. *De Eteſiis ventis, cur ipſi ſalubres ſemper ſint.*

XXXVIIII. *Aer, & ſi corpus continuum, & vniforme, cur non æquè tamen vitietur per ſæua tempeſtatum, & maligna cæli. Reſponſio ad ſecundam aduerſariorum rationem.*

XXXX. *Domi, aut rure occulto, & procul cœtu hominum vitam agere tempore peſtis vtile multoties exſiſtit, non ob vetitum contagium, ſed aliis rationibus. Solutio tertiæ rationis.*

XXXXI. *Peſtis an valeat præſagiri.*

XXXXII. *Prouidentia in peſte neceſſaria, non ad euitandum, arcendum, fugiendum contagium, ſed ob alia, in tali malo opportuna & exoptanda mundi rectoribus, & rectis.*

FINIS.

# HIERONYMI PERLINI

## TESTIMONIVM (FIDES, VVLGO dicta) medicum, & ciuile, ad lucem inſtructionemque iudicis ſpiritualis factum,

## *AC IN ENARRATIONEM, & aſſertionem ſeu iudicium diuiſum.*

### ENARRATIO

Ea, quæ ſenſibus cognita ſunt, ſpectans.

ELECTVS, rogatus, & quæſitus ipſe vidi: aſpexi ſcilicet, & inſpexi Oliuerium de Ferrariis ignauiæ & impotentiæ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ *rei venereæ vſus* ſuſpectum; imò ab vxore propriâ reiectum, ſpretum, faſtiditum; adeò vt ipſa eadem cupiat & quærat diuulſionem, & matrimonii ſolutionem.

Primò pudenda, teſtes videlicet ac membrum virile primo aſpectu nullam *ferè* deformitatem præſeferunt; non ſunt, inquam deprauata, aut mutila: Dixi tamen *ferè*: quia reuera, vti teſtes ſolito paruiores, minores conſpiciuntur; ita colis ipſe flaccidus & frigidus obſeruatur: nihilominus inſtrumentum motui voluntario deſtinatum, muſculi ſcilicet minimè vitiati aut læſi manifeſtò apparent. 1.

II. An verò habeat vir inſpectus dicti virilis membri erectionem, eamque veneri exercendæ opportunam haud mihi viſu conſtat : Ipſe quidem fatetur ; vxor contrà id negat, an & plorat?

III. Habitus corporis huius viri gracilis eſt; cutis verò corpori obducta, vt tactu, vnâ cum carnibus, frigidior apparet, ſic glabra & coloris oleaginei inter aquilum candidumque, ſeu magis cineracei illa eadem conſpicitur.

IIII. Vultus ſeu facies nullum decorem, quin potiùs deformitatem quandam oſtendit & exprimit.

V. Verba, & geſtus nec prudentiam, nec iudicium exactum, aut ſaltem quale idiotis decens & commodatum atteſtantur: leuia ſiquidem, vana, ac ſimplicitatem præſeferentia miſer loquitur: Demens tamen aut inſanus minimè dicendus ; potiùs qualis *a Claudius, aut Vitellius, hebes, ſimplex, nimis bonus, vitiis incallidus; b ac cuncta benignâ æſtimatione accipiens ac interpretans ; c quem magis extra vitia, quàm cum virtutibus diceres.*

*a. Tacitus, & Suet. b. Seneca. c Id Tacit. 1. Hiſt.*

VI. Ætatis ſuæ anni ſunt XXXV. plus, minuſue, contracti matrimonii IX.

VII. Palàm miſer fatetur, ſe nec coniugem, aut aliam fœminã agnouiſſe, & *παρθενίαν virginitatem* adhuc retinere cuſtodireq; : cauſſam, cur in tanto tempore matrimonium non conſummauerit, totam reiicit in ferociam, iram, indignationem, & negationem vxoris, quæ à ſeipſo marito auerſo eſt animo, aliis amoribus intenta & ad nouum coniugium ſeu matrimonium ſpirans.

VIII. Ipſe tamen maritus, præter id vitium ſibi imputatum ſanus alioquin eſt; nec vllo alio languore aut corporis plano & aperto morbo læſus aut tactus apparet.

## Aſſertio ſeu iudicium

Id, quod mente rationeque deprehenſum eſt, ſpectans. Quantum ipſe coniecturâ & probabili argumento aſſequi poſſum, crediderim, inſpectum & nominatum virum fuiſſe, & adhuc pariter eſſe frigidum ac in venerem prorſus impotentẽ : nimirum nec colem arrigere, nec venerem exercere vllo modo poſſe. Id autem colligo & arguo ex variis & efficacibus rationibus.

Et pri-

Et primo ex aſpectu & habitu corporis, quæ duo, iuxta narrata, & hæc eadem vltrò mente deprehenſa, vniuerſi, ac proinde etiam teſtium, ac colis atteſtantur frigiditatem, *d quæ, cauſſa ignauiæ & impotentiæ*: I.

*d Ex placitis philoſophorũ ſeu medicorum.*

Non enim ad veneris vſum & exercitationem ſufficit pudendorum decens & accommodata conformatio, & magnitudo; ſed requiritur inſuper ſpirituum & ſeminis, ſeu potiùs ſanguinis copia, crebrò à frigiditate corporis & teſtium denegata, & prohibita: Corpus ſiquidem aut non demandat carens, aut aliò tranſmittens; vel ſi demandat, haud decenter & opportune illa eadem ſpirituũ & ſanguinis copia excipitur ab ipſis pudendis: Teſtes enim illi comminuti, ſolito paruiores planam & apertam ſui frigiditatem arguunt: Hinc maius, & altius vitium, plurium & aduerſantium cauſſarum conſenſu, & concurſu.

Secundò in hanc aſſertam & indicatam perſuaſionem deuenio, II. ex eo, quod ipſemet patiens aſſerit, non citra verecundiam, (ſi tamen verecundia, aut alius affectus verè reperitur in ſimili animo, leui, ſimplici, fatuo) de virginitate vſque ad hanc diem ſeruatâ & retentâ: Quandoquidẽ etſi pudor & peccati timor poſſunt ipſum probum, & mentis inculpatæ virum à veneris illicitâ libidine & licentiâ coercere; à ſtupris, adulteriis, & omni alio ſcortationis genere arcere: minimè tamen à propriæ vxoris congreſſu, aggreſſu, & initu; à decore & lege permiſſo, imò imperato, cõtinere, & prohibere deberet: Neque valet ratio ab eodem Semifatuo adducta: quòd nimirum coniunx ipſa neget & ſubterfugiat; auerſetur & aduerſetur: quoniam ſolent quidem feroces mulieres ob iram & indignationem erga maritum quid ſimile aliquoties moliri; at non ſemper: ſiquidem *e fæmina mutat, vt ventus*, nec cõſtans in affectibus, maximè odio erga maritum: Quin eadem minimè ſemper audet; crebrò vileſcit, & ſinit ſe cogi, ſubigi ac ſubmitti, quod, ſexus victoria: *f Nec aliud probis fæminis* (talis hæc putata, & iuſtis probationibus aſſerta; pudica, verecunda, virginitatem retinens.) *quàm ex matrimonio maritiq́; ſocietate & conſortione ſolatium*; Etquamuis vniuerſè ipſa eadem fœmina coitum & concubitum quandoquè non appetat: tam gratè tamen excipit, quam ſi concupiſcat; & vt ille dicebat, noſque paulloante tetigimus, *dum fugit, vult capi*;

*e. Ex adagio communi.*

*f. Agrippina ad Tiberium apud Tacitũ.*

Quarianus *& dum negat, cogi.* Quod in parte verum etiam eſt de iis fœminis, quæ virum ignorant. Vt ob id non ſit ſufficiens & par ratio noſtro in caſu, denegatio, & auerſatio, imò aduerſatio ipſius coniugis.

III. Ad hæc & tertio g *Tales ſumus qualis fama cuiuſque:* h *Nimirum ſuf-*
g. Plinius Paneg. *fragia & exiſtimatio hominum reperta, vt in cuiuſque famam moresq́ pe-*
h. Tacit. 4. Hiſt. *netrent:*

Eapropter cùm vulgo impotens in venerem Hic, habitus ſit, iure merito ob id etiam à iudice & prudentibus talis cenſendus.

Ceterùm adhuc magis ambigi poteſt, an id ſuſpectæ damnatæque frigiditatis vitium ſit naturale, innatum, & vltrò duraturum; an potiùs fugax, temporale, & adſcititium: At non eſſe adſcititium iam conſtat ex relatu, ac ipſius rei hiſtoriâ: Fugax pariter & temporarium vix probabiliter dici poteſt: quia iam ſatis patet, fuiſſe diuturnum. Præter quam quòd quæ conſtitutionem innatam, & corporis temperamentum ſequuntur vitia; vt coætanea, coæua ſunt; ita ferè ſemper cum nobis viuunt, & commoriuntur.

Tandem in dubium verti poteſt, an vitium hoc fœdum referri queat in maleficium, *φαρμακιαν veneficium:* Res hæc certè, vt & vis maleficii ſeu veneficii, quãdoq; occulta eſt, alta, & à ſenſib. remota: attamẽ vbi ignauia, innata eſt, nec vmquã intermiſſa aut omiſſa; vbi frigiditas corporis cõnaturalis, & mentis vnà hebetudo apparent & ſeſe oſtentant; vbi item vitii ſuſpecti & infeſti cauſſæ naturales & planæ, ſunt conſpicuæ & euidentes; raró philoſophantes & noſtri medici ad abdita & occulta (tale eſt maleficium) recurrere conſueuerunt. Et eò minus id præſtandum videtur noſtro in caſu: quòd nulla de maleficio ſit apud patientem, aut eius affines ac familiares querela vel iuſta ſuſpicio.

Nihilominus cùm res naturæ, vt ſcio me aliâs dixiſſe, multum habeant caliginis; denturque in medicâ arte, in corpore humano
i. Ex Auic. monſtra & admiranda; i *accedant nimirum & interueniant priuati caſus, qui non continentur ſub vniuerſalibus profeſſionis noſtræ præceptis & theorematib.* eapropter crediderim & ſuaſerim ipſe, æquum & iu-
[illegible] ſtum

ſtum fore (*l niſi aliter iuri & iuſtitiæ videatur*) vt hi coniuges inſimul iterum per aliquod temporis ſpatium cohabitent, conuiuant, cõcubent: atque id ſit cum amore & mutua charitate, quæ ſi viciſſim nõ adſunt ſumantur, aut in parte ſimulentur: *m Non enim amor imperatur, eſt is affectus, ſi quis alius, erectus & liber, ac vices exigens.* Iudex itaque opportunè, ſuáque auctoritate, & ſolitá prudentiá, in ſocietatem aſſumptis coniugum affinibus & amicis, virum, & fœminam moneat, cõiungat, componat; ſuggerat & ingerat iiſdem honeſtum; ſpes iuſtas, & optatas oſtentet; vtatur inſuper, ſuper hæc, denunciationibus, id eſt, comminationibus, periculi admonitionibus, vt ſi fieri poteſt, matrimonium, ſacra res, tandem conſummatur: Quid enim turpius, quàm vxorem (hæc enim durior, & moroſior videtur) non admittere & amplexari ſuum maritum? pugnare contra honeſtum & legem chriſtianam? Tandem ſi hæc remedia à iudice ſparſa, adhibita, tentata; & à coniugibus viciſſim in parte ſaltem admiſſa & vſurpata non iuuabunt, inefficacia erunt; diſiunctio, ſeparatio, & matrimonii diſſolutio permitti, me iudice, poterit; ne iniuria vlteriori & aſperiori remedio, fiat honeſtæ mulieri; imò ipſi naturæ, quæ amat fœcunditatem, & prolis augendæ occaſionem: Huiuſmodi enim fœmina, frigido & inopportuno reperto primo marito, nouum lætiorem, & vſibus ſuis aptiorem quærere & exoptare videtur, quod laudabile, aut ſaltem non damnandum. Tridenti die XXIX. menſis Nouembris M.DC.XII.

*l. Iuris peritorũ verba.*

*m. Plinius Paneg.*

# ADDITIO EIVSDEM Perlini.

CVM ferè ex vnâ parte conſtet, prędictum Oliuerium de Ferrariis eſſe prorſus impotentem, & ad venerem exercendam mirè ineptum; eumque inſuper talem exiſtere ob vitia innata, ob cauſſas ſcilicet antiquas, adhuc durantes, nec vmquam, me iterùm iudice, ceſſaturas (Nam quod naturale eſt omnium medicorum conſenſione, vt incipit, ſaltem quoad principia & cauſſas, cum ipſo animali, inſequiturque proprietatem ſubiecti, temperamentum, complexionem, & paria, quibus natura noſtra conſtat, ſic viuit cum ipſo patiente, & vnà, hærens & adhærens omni tempore, commoritur.) Et ex alterâ, alterâ, dico, parte compertiſſimum identidem ſit inter virum noſtrum, & vxorem non modò eſſe mutuam abhorritionem, animorum alienationem, & planum apertumque odium (*grauia nimirum coniugum odia, & qui nimis amant, nimis oderunt*) ſed etiam diffidentiam, non abſque ratione iterum dubitari poſſe video, an par & iuſtum ſit, hoſmet, virum ſcilicet, & vxorem rurſus cogi, vt inſimul nimirum, ante matrimonii diſſolutionem, cohabitent, conuiuant, & concubent. Ego certè, cùm iam in Proceſſu (vt dicunt) & partium probationibus plenè conſtet (quod, mihi nouum) mulierem ipſam, alioquin pudicam, virginem, & verecundam, nedum minimè ſemper, per anteacta tempora, aduerſatam eſſe marito, quin potiùs eumdem quandoque inuitaſſe, licet cum verecundiâ, allexiſſe, & tentaſſe, ac obnoxiam, & ſi incaſſum, ſemet matrimonii legibus præbuiſſe; mitem, mollem, imbecillam, ad parendum factam demonſtraſſe; neſcio, inquam, an iura permittant, ſeu magis imperent, vt de nouo miſeri, & penè dixerim, infelices cogantur iungi: Enimuerò præter id, quod impotentiæ & frigiditatis vitium, mutuo coniugum odio, & ob diffidentiam, mirè excreſcit

*Prouerbio iactum, & ex Ariſt.*

creſcit

creſcit & intenditur ( *vt enim amor & conſenſus ſunt fomes & incita-* *Ex ſeitis me-*
*mentum carnis concupiſcentiæ & pruritus ad venerem, etiam honeſtam: ita* *dicorum, & philoſoph.*
*offenſio, odium, & diffidentia illum eundem pruritum arcent & exſtin-*
*guunt*;) vltrò imminent etiam pericula, quæ prudens & circum-
ſpectus iudex, pàtris hac in parte vices gerens, præuidere, & præ-
uiſa arcere, & euitare omni curà & diligentià debet: Conandum
quidem eſt in diſcriminibus, in arduis; ſed ob ſpes honeſtas; ſpe
iuſti & boni demptà, ceſſante (quod pænè futurum in hoc deſpe-
rato caſu mihi polliceor) omnis conatus, & coactus, vanus, ac
prope temeritati: *Multa ſiquidem*, ait ſcriptor, *leuiuſcula ac temerè acci-* *Dio.*
*dentia in ſuſpicionem rapiunt offenſi: & in vniuerſum omnia ſeu conſultò,*
*& in deteriorem partem facta, ad conceptum anteà odium apponunt*, etiam
reconciliati verè, aut in ſpeciem: *Nam iniuriæ*, & maximè con- *Seneca 1. de B. nef.*
nubio, aut quâ aliâ affinitate iunctorum, *altiùs quàm merita, deſcen-*
*dunt: illa citò defluunt, has tenax memoria cuſtodit.* Cui par. *Procli-* *Tacitus 4. Hiſt.*
*uius eſt iniuriæ, quàm beneficio vicem exſoluere: quia gratia oneri, vltio*
*in quæſtu habetur*: ſubaddit idem ſapiens Romanus, *Ira habet ali-* *Id. Seneca 2. de Ira.*
*quam voluptatem, & dulce eſt dolorem reddere.* Vt ob id omne pe-
riculoſum ſit, hos noſtros iterum coniugare, & vnire: Enimuerò
etiam ſi inter maritum, & vxorem *maneret in ſpeciem concordia* *Id. Tacit. 3. Hiſt.*
(quod tamen difficile, & vix ſperandum in tantà animorum, &
morum diſſenſione) *attamen offenſarum* (vti proximè dicebã) *ope-*
*ra metuenda*: Addo tandem huiuſmodi coactiones, & violentas
iunctiones, vt & commercium cum impotentibus, detrudere ac
præcipitare ipſas fœminas in melancholiam, necnon animi de-
ſperationem (*cui pathemati & morbo obnoxius & paratus alioquin ob-*
*ſeruatur hic ſexus*: Etenim quemadmodum gaudet mulier con- *Ex ſeitis medicorum.*
nubio, facileq́ue ad ipſa gaudia per amores venit; ita familiaribus
odiis, iurgiis, & contentionibus mirè eadem exaſperatur, læditur,
deferueſcit, contriſtatur, imbecilla, garrula, iracunda: Vti aliâs
contra per hæc eadem diſcrimina hic ſexus prompte ſe dat abie-
ctioni animi, mæſtitiæ, timori; *quibus perſeuerantibus accedit demum* *Hipp. 6 Aph. 23.*
*non modo phantaſiæ, ſed iudicii deprauatio ac corruptela*, μανία Græcis di-
cta; hácq́ue vigente (quod miſerrimum) fœmina ponit frequen-
ter inſidias ſibi paratas; mox malitioſè odit, quos metuit, ac

periiſſe expetit: fit tandem ſomni expers, cibi negligens, ſitibunda, anxia, morti obnoxia. Quibus cunctis malis & periculis commodè obuiam iri poteſt noſtro in caſu ſi diſtrahantur hi coniuges, ſi matrimonium dirimatur, aut nullum & inualidum eſſe pronuncietur. Benignè & commodâ interpretatione hæc pauca, ad maiorem & lucem, & rei explicationem ſubaddita, accipi velim.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE